



**Ruperti Abbatiss Tvitiensis, Summi Disertissimi
Theologi, sacris du[n]taxat literis omnia probantis, in XII.
prophetas minores, Commentariorum Libri XXXII**

Rupert <von Deutz>

[Köln], M. D. XXVII.

VD16 B 3835

Cap. III. Et ostendit mihi Jesum sacerdote[m] magnu[m], stante[m] coram
angelo domini, [et] Satan stabat a dextris eius, vt aduersaretur ei. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71859)

✠
RVPERTI ABBATIS
 ✠
 TVITIENSIS IN ZACHARIAM PROPHETAM
 COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

2. Pet. 7.
 Prophetia, sicut
 cerna ardens,
 & lucens.



Abemus (inquit Apostolus Petrus) firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis, attendentes tanquam lucernam lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. Dulce est auditu, dulcius experimento, quod propheticus sermo lucerna ardens & lucens sit, quam utique spiritus sanctus Christo suo parauit. Vnde uideri possit ille in hac nocte per

Iohan. 8.

1. Corin. 13.

Prover. 13.

CAP. III.

speculum in aenigmate, donec illucescat ille dies, in quo uidendus est facie ad faciem aeterna uisione. Haec intentio nostra sit ut in lumine huius lucernae, non ad horam, sed ad aeternam eiusdem Christi gloriam exultare uelimus, cuius exultationis hoc initium est, ut prophetica testimonia meditantibus, ex parte sciamus, & nos quoque ex parte prophetemus, donec ueniat quod perfectum est, & quod ex parte est euacuetur. Cum hac simplicitate oculi, nunc utique progressi, lucidum persequamur ordinem huius prophetiae, reuera lucentis lucernae, cuius in lumine corde & ore dignum sit exultare omni animae, quam Christi claritate non ficta diligit charitate, & spes nostra haec sit, quam sapientia promittit, quae de fructu oris sui homo satiabitur bonis. Magnae & pulcherrimae uisionis pars aliquanta decursa est, uidelicet ab eo quod ait: uidi per noctem, & ecce uir ascendens super equum rufum, usque ad id: Sileat omnis caro a facie domini, quae conuulsa surrexerit de habitaculo sancto suo, in qua uidelicet parte illud considerandum est, quae frustrata sunt pugnantia contra deum regna mundi, & illis praetermissis, nascete Christo uenit regnum dei.

Post haec sequitur. Et ostendit mihi Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo domini, & Satan stabat a dextris eius, ut aduersaretur ei. Et dixit dominus ad Satan: Increpet dominus in te Satan, & increpet dominus in te qui elegisti Hierusalem. Nunquid non iste torrens est erutus de igne? Et Jesus erat indutus uestibus sordidis, & stabat ante faciem angeli. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferite uestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs, & dixit: Domine cidarum mundam super caput eius. Et posuerunt cidarum mundam super caput eius, & induerunt eum uestibus. Et angelus domini stabat, & contestabatur angelus domini Jesum, dicens: Hec dicit dominus exercituum, Si in uis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi de his ambulantes, qui nunc his assistunt, audi Jesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia uiri portendentes sunt, Ecce enim ego adduco seruum meum orientem, quia ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego celabo sculpturam eius, ait dominus exercituum, & auferam iniquitatem terrae illius in die una. In die illa, dicit dominus exercituum, uocabit uir amicum suum, subter ueniam & subter ficum. In praecedentibus dicendo: post gloriam misit me ad gentes, & ecce ueniam & habitabo in medio tui &c. Dominicae incarnationis significatur mysterium, in praesentibus tentationum & passionis eius subtrahit sacramentum, in sequentibus uero resurrectionis eius triumphum & gaudium, ubi post haec propheta mox dicitur est. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, &c. Et ostendit mihi (inquit) Jesum sacerdotem magnum. Hebraei (inquit beatus Hieronimus) Jesum sacerdotem magnum filium Iosedech intelligi uolunt, qui cum Zorobabel populo profuit, cuius aduersarius a dextris stabat, & non a sinistris, quia uera erat accusatio, eo quod & ipse cum ceteris alienigenam accepisset uxorem, quod in Esdra & Malachia, qui hunc prophetam sequitur plenissime scriptum est. Nostri autem (ait) ita differunt sacerdotem esse magnum, ad quem dicitur, Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, quod quoniam per se uideri non potest, a domino propheta ostenditur, stantem coram angelo domini, quem uolunt magni consilij esse angelum, non quod alter & alter sit, ut duas personas recipiamus in filio, sed quod unus atque idem, & quasi homo sordidatus ostenditur, & quasi angelus mediator dei & hominum apparere dicatur, iuxta hunc sensum, hoc (ait) uideatur esse difficile, quod Iesu ab angelo dicitur: si ambulauerit in uis domini, & eius praecipua serua-

Visio de passione Christi.

1. Esdrae. 10.
 Malach. 2.
 Psal. 109.

Esa. 9.

uerit, ipse quoque iudicet domum eius & custodiat atria illius, & det ei dominus ambulantes de his qui assistant ei. ¶ Nos uero postremi non ab re miramur, si inter doctos scrupulosa unquam fuit concertatio, pro re huiusmodi, cum uisio sit noctis, quia sic incepit. Vidi per noctem, &c. In uisionibus namque non ipsa persona siue substantia cuiuscumque, sed similitudo siue imago personae uel substantiae solet apparere, siue hominis siue alterius cuiuslibet rei, praeter spirituales substantias, ut sunt angeli. Itaque sicut in hac ipsa uisione quatuor cornua, & sicut in uisione Danielis quatuor bestiae, non ipsa quatuor regna, sed quatuor regnae quaedam imagines fuere, ita hic Iesus, neque substantia domini nostri Iesu Christi, qui secundum hominem nondum existebat, neque ille Iesus filius Iosedech illius temporis pontifex erat, qui cum homo esset & corpus, quomodo in uisu noctis apparere poterat? Imago erat hominis, quae uidebatur, quaedam similitudo dicitur sufficiens ministerio prophético, ad significanda illa quae de domino nostro Iesu Christo iam tunc significari tempus uel ratio postulabat. Quae si quaeratur quis, cur in ea similitudine potius quam in alia significari hic placuerit: scire debet, quia cum sanctos fere sanctos & probos antiquorum temporum uiros, qui uenturo regno dei proprio labore aliquid contulerant, spiritus sanctus eiusdem regni dei mysterijs sic honorauit, ut aliquam qualicumque, singuli proferrent similitudinem regis, regni dei domini nostri Iesu Christi. Hinc est quod in illis hominibus sanctis, tanta conquisita & inuenta sunt a sanctis doctoribus gesta uel dicta in typum eiusdem domini, qualium de praecipuis fuere Isaac, Ioseph, & Dauid, & Salomon, quae diu in sapientia uigilauit. Isti duo, Zoroabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech, multum in hac parte omni mundo profuerunt siue contulerunt, quia uidelicet in reuersione de Babylonia principes extiterunt, templumque fundauerunt & perfecerunt, loco uel genti recuperandae studentes, unde salus ueniret, quia salus ex Iudaeis est. Honorauit igitur eos spiritus sanctus, ut in nominibus uel figuris eorum, uenturi Christi mysteria significaretur, pro eo quod eius aduentu uel regno labor et opus eorum famulabatur. ¶ His autem praemissis, nunc praesentia uisionis dicta uel acta ordine persequamur. **L. Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magni stantem coram angelo domini, et Satan stabat a dextris eius, ut aduersaretur ei.** ¶ Quid illud significauerit, in eadem uisione innuitur his uerbis: Audi Iesus sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, quia uiri portendentes sunt. Ecce enim ego adduco seruum meum orientem &c. Itaque Iesus ille, quem uel cuius speciem siue imaginem uidebat in nocte, stantem coram angelo domini, portentum fuit serui domini, serui (in qua) illius nomine orientis, qui cum in forma dei esset, propter nos semetipsum exinanauit, formam serui accipiens, unde & recte dicitur seruus domini, quia propter nos seruiuit, & obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. In illa forma serui stare habebat sacerdos magnus coram angelo domini. Minuisti enim (ait) eum paulo minus ab angelis. Minoritatem illam haec dicitio pulchre innuit, stantem coram angelo domini, pulchrius autem & uenerabilius illud in euangelio: quod cum factus in agonia prolixius oraret & sudaret sudorem sanguineum, apparuit illi angelus de caelo confortans eum, maior utique minor, utpote nunquam moriturus continuo moriturus. Quod in illo uisu Satan stabat a dextris Iesu ut aduersaretur ei, hoc est, quod talis iste seruus de seipso dixit: Venit enim princeps mundi huius, subauditur, querens in me suum aliquid. Stabat ut aduersaretur, nec tamen dictum est, quod aduersatus sit ei, uel aduersari potuerit, quia uidelicet sic futurus erat, ut ad ipsum quidem ueniret princeps mundi, sed in me (inquit) non habet quicquam. Stabat, non a sinistris, sed a dextris, quia uidelicet sic futurus erat, ut in isto nihil finitum, sed totum dextrum, id est, nihil malum, sed totum esset bonum. Itaque stabat a dextris, quia nulla erant sinistra, uidelicet hoc intendens, ut de dextris faceret sinistra, ut peruerteret quae dixerat quae fecerat bona, sicut narrat Euangelica ueritatis eius scriptura. Accusabatur enim tantumquam malefactor cum esse benefactor. Sic olim idem Satan, stabat a dextris Iob, ut peruerteret eius bona, cum diceret: numquid frustra Iob timet deum? &c. ¶ **L. Erudit dominus ad Satan: increpet dominus in te Satan, et increpet dominus in te qui elegit Hierusalem.** ¶ Cur non dixit, uade Satana, siue desine aduersari Satan? Videlicet, quia multum profuturus erat sic aduersando Satana, non solum ut exemplum patientiae esset nobis, ad quod informamur, dicente Iacobo Apolo: patientiam Iob audistis, & finem domini uidistis, uerum etiam ut mundum redimeret illa patientia saluatoris, illa passio redemptoris. Igitur increpet, ait dominus, in te Satan, id est, alius, istas quidem, sed non usque ad plenam uoluntatem tuam. Nimirum & illud erat increpare, quod

In uisione, non substantia, sed imago rei apparet.

Danie. 7.

Antiqui praesentes sancti Christi in aliquo praesente figurabant.

Iohan. 4.

Christus dicitur seruus domini.

Philip. 2.

Psal. 8.

Luce. 22.

Satan a dextris Iesu. Iohan. 14.

Matth. 27. Iob. 1.

Iaco. 5. Increpare Satanam.

quod dixit pro beato Iob: ecce in manu tua est, ueruntamē animā illi serua. Similit̄ pro isto dictū sit ab omnipotentia: caro in manu aduersariorū sit, quos tu inflammas, ueruntamē animā illius in inferno non detineas, caro in sepulchro corruptionē non uideat, hoc dixit dominus, increpet dñs, & increpet dominus, sicq; ab una persona, duæ personæ dñi ad increpandū inuitantur, quia uidelicet uictoriā dominicæ passionis, quæ magna est increpatio diabolī, trinitas operata est unus deus. Pater nāq; calicem illū filio dedit, & filius per spm̄ sanctū (ait Apostolus) semetipsum obtulit. ¶ **¶** Nunquid non iste torris est erutus de igne: & Iesus erat indutus uestibus sordidis. ¶ Et secundū hāc illius uisionis similitudinē dñs Iesus torris erutus de igne fuit, siue qā in mūdo hoc magno utiq; camino & grandi officina peccati peccatū euasit, peccatū nō fecit, neq; ex cōceptione cōtraxit, siue qā cū descendisset ad infernū, impossibile fuit illū ab eo teneri, & indutus erat qdē uestimētis sordidis, ueruntamē nō suis, sed alienis. Nam dñs posuit in eo iniquitatē omniū nostrū, & Esaias, transfigurans in se (inquā) æstimationē impiorū, & nos (inquit) reputauimus eū quasi leprosum, & percussum à deo, & humiliatū. Itaq; fuerit quidē Iesus ille homo tēporis illius sordidatus peccatis suis, quoniā uxorem alienā, uel sicut Malachias ait, filiā duxerat dei alieni: Christi autē Iesus, qui in illa nocte per imaginē significabatur illius Iesu, nō suis, sed alienis peccatis, indutus erat uestibus sordidis. ¶ **¶** Et stabat ante faciem angelī, qui respondit & ait ad eos, qui stabant coram se dicens: Auferte uestimenta sordida ab eo. ¶ Hoc dixit angelus dñi auctoritate uel imperio loquētis in se dñi, licet nō interposuerit, qd postmodū interposuit idē angelus dñi, hęc dicit dñs exercituū, si in uis meis ambulaueritis, &c. ¶ Qui portō erant qui stabāt ante faciem angelī, imō ante faciem dñi, in angelo siue per angelū loquentis: Nō enim qualescunq; erāt uel sunt, sed reuera magni, quorū officij est, a uertere ueritatem sordida, auferre iniquitates & peccata. Inferius in hac uisione duæ oliuæ (inquit) suæ per candelabrū, una à dextris lampadis, & una à sinistris eius, & dixit: Quid sunt duæ oliuæ istæ? & rursus: Quid sunt duæ spicæ oliuarū, quæ sunt iuxta duo rostra aurea? Ita secundo interrogatus angelus, isti sunt (ait) duo filij olei, qui assistūt dominatori uniuerse terre. Eodem duos filios olei intelligimus hic stare corā angelo loquēte uel agente in persona domini, & de istis, quā sint, oportuniū in illo loco pro posse dicēdum est, hoc tantū in præsentia dixerim, qd uestimenta sordida, quæ nostrę iniquitates erant, ablata sunt à dño Iesu in passione sua per spm̄ sanctū, qui est remissio peccatorū & diuersarū distributor gratiarum. ¶ **¶** Vnde & protinus dixit ad eū. ¶ **¶** Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mita torris. ¶ Iniquitatē tuā cū dixit, simul attendere conuenit, quod postmodū uelut exponens, quid ista significēt cū dixisset: Ecce ego adducam seruū meū oriētem, & cætera, ita concludit, & auferam iniquitatē terræ illius in die una. Ergo abstuli à te iniquitatē tuā, id est, iniquitatem terræ tuæ, iniquitatē ecclesiæ tuæ, peccata omnium credentiū in te, & indui te, id est, eosdē tuos mutatoris, quia uidelicet ab iniquitatibus emundati, diuersis ornabuntur charisimatū donis, & quod multū ad dei gloriā spectat, ubi abundauit iniquitas, superabundauit gratia. ¶ **¶** Er dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius, & posuerunt eum cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum uestibus. ¶ Hoc est quod nūc uis demus (ut ait Apostolus) dominū Iesum Christū propter passionē mortis gloriæ & honore coronatū. Cidarim, id est, pileus siue mitra pontificalis, cui superponebatur lamina in fronte pontificis, habēs scriptū tetragrammaton ineffabile nomen domini, coronā significat gloriæ & honoris in capite domini nostri Iesu Christi, qui factus est obediens usq; ad mortem crucis, propter quod & deus illum exaltauit, & donauit illi nomē, quod est super omne nomen, Et uestes de quibus ait: & induerunt eū uestibus, dona illa sunt, de quibus iam dictum est, quæ dantur ecclesiæ eius, q̄ est corpus eius. Vnde (sicut iuxta aliā translationē legimus) ascendēs in altū, captiuā duxit captiuitatē, dedit dona hominibus, ita nihilominus ueraciter psallimus: accepisti dona in hominibus, quia uidelicet propter unitatē personæ capitis & corporis, ipsius & ecclesiæ, ipse accepit in nobis dona quæcunq; accipimus, cū ipse det ut uere deus. Quæ haftenus in uisione ostensa sunt, propter quid ostēsa sint sequētib; uerbis ipse angelus aliquantisper declarabit his ad ipsum Iesum pmissis. ¶ **¶** Hęc dicit dñs exercituū: Si in uis meis ambulaueris, & custodiā meā custodieris, tu quoq; iudicabis domum meam,

Heb. 9. Christus, torris de igne.

A. 2.

Esa. 53.

Malach. 2.

Infra. 4.

Abstuli a te iniquitatē tuā.

Roma. 8.

Heb. 2. Cidarim.

Philip. 2.

Psal. 67.

meam, & custodies atria mea, & dabo tibi de his ambulantes, qui nunc hic assistunt.] Hæc enim ad illud hominem Iesum esse dicta, recte intelligimus abique ulla significatiōis uel mysterij clausura, quod ex eo uel maxime constat, quod promissio, si in uis meis ambulaueris, ita personam uel causam illius hominis determinat, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea. Cū enim dicit tu quoque, satis innuit ea quae promissa sunt, & quae sequuntur de alio dicta, propter aliud esse facta uel ostensa. Et recte tali homini sub conditione siue conditionali modo locutionis, dicendo: si in uis meis ambulaueris, promittitur iudicare domum domini, sicut iam dictum est, ducendo alienigenam contra preceptum legis domini, sacerdos, cuius laborum est custodire scientiam, cuius ex ore legem requirunt, eo quod sit angelus domini exercituum. Et cū dicit tu quoque iudicabis domum meam, subintelligendum est aliter et feliciter, siue meliori fine quam Heli, qui de sella cecidit, & cadendo dignitate iudicarij perdidit honoris. Et illius quidem principatus temporalis, & custodia transitoria designatur, dicendo: & dabo tibi de his ambulantes, qui nunc hic assistunt. Illius autem, de quo, uel propter quem precedentia dicta, & sequentia dicenda sunt, Principatus æternus, & custodia sempiterna est, principatus & custodia præteritorum, & presentium atque futurorum, quæ & designat, ita subiungens. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia uiri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem.] Ac si dicat: Cū acceperis narrationem uisionis eius, ius propheta narrate, Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quorum imagines uidentur in nocte, & audit quæ dicuntur in te: audi & cognosce, quia uiri portendentes sunt, id est, quia uisio quæ uidet circa te & amicos tuos, portentum est futurorum, quæ sine dubio magna erunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem, & illius adductionem portendis, tu in hac uisione ostensus, & amici tui tecum. Sicut amici tui in hac uisione coram te habitantes, uis sunt, ita coram illo quæ adducam orientem seruum meum, multi facti ex inimicis amici habitabunt, quibus ipse dicitur in ipso articulo, quo Satan stabat à dextris eius, sicut hic portenditur. Iam non dicam uos seruos, sed amicos meos: & maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, uos amici mei estis. Hic inde oriens dicitur, quia lux uera est quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: & inde seruus, quia semetipsum exinanuit, formam serui accipiens. Cū hæc diceret, uidebatur quoque lapis coram Iesu: Super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego dabo sculpturam eius, dicit dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die una:] Lapidem esse dominum Iesum Christum, lapidem summum angulare electum in fundamento fundatum, et per septem oculos, quos super hunc unum lapidem sunt, septem esse spiritus dei, qui super eum requieuerunt, ferè nullum aut esse debet in cognitu. Non enim huic ad mensuram dedit deus spiritum, & in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hic lapis ab hominibus reprobatus est, à deo autem electus & honorificatus est. Quomodo ab hominibus reprobatus est? Eiectus extra portam in ligno suspensus est, ut maledictum legis existeret, quia lex dicit, maledictus à deo est qui pedit in ligno. Hæc erat edificatio in die una. Sed ecce ego, inquit, delabo sculpturam eius, & auferam iniquitatem terræ illius in die una. Et est sensus. Iste lapis clavis crucis & lancea militis faciam uulnerari, & in illius passione auferam iniquitatem terræ in die una, de qua scriptum est: Hæc est dies quæ fecit dominus, exultemus & letemur in ea.] In die illa uocabit uir amicum suum subter uineam & subter ficum.] A tempore enim dominicæ passionis coepit annunciari euangelium, quod est uocari subter uineam, & spiritualiter lex intelligi, quod est uocari subter ficum, spiritu sancto reuelante, quod lex et propheta Christi euangelio perhibeant testimonium.] Et reuersus est angelus qui loquebatur in me, & suscitauit me quasi uirum, qui suscitatur de somno suo. Et dixit ad me: Quid tu uides? Et dixi: Uidi, & ecce candelabrum aureum rotum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput illius, & duo oliuæ super illud, una à dextris lapidis, & una à sinistris eius, & respondi, aio ad angelum qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc dñe mi? Et respondit angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me: Nihil resecis quod sunt hæc? & dixi: Nihil dñe mi. Et respondit & ait ad me dicens: Hoc est uerbum domini ad Zorobabel dicens: Nihil in exercitu nec in robore, sed in spiritu meo dicit dominus exercituum.] Sicut in precedentibus humilitate passionis, in qua minoratus fuit paulo minus ab angelis, ita ipsentiam gloriam

1. Etdre. 10.
Malach. 2.

1. Reg. 4.

Iohan. 1.
Seruus meus
oriens.
Philip. 2.

Chrūs lapis,
super quē sc̄a
prem oculi
Esa. 11.
Colloff. 2.
Actu. 4
1. Pet. 2.
Heb. 12.
Deut. 21.

Psal. 117.

CAP. III.